

**Commentatio de paracusi sive de auditus hallucinationibus : quam aequae ac theses adjectas ut lectiones in Universitate Litteraria Friderica Guilelma habendi licentiam nanciscatur autoritate gratiosi medicorum ordinis die XV. mens. Decembris a. MDCCCXXX h.l.q.s. publice defendet / auctor Edmundus Dann ; opponent Dr. Quincke, Dr. Waldeck, R. Dann.**

### **Contributors**

Dann, Edmund.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Berolini : Typis fratrum Unger, [1830]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kd3d84xh>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**COMMENTATIO DE PARACUSI**  
SIVE  
**DE AUDITUS HALLUCINATIONIBUS.**

---

QUAM

AEQUE AC THESES ADJECTAS UT LECTIONES

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILIELMA

HABENDI LICENTIAM NANCISCATUR

AUTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

*DIE XV. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXX*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUTOR

**DR. EDMUNDUS DANN.**

---

OPPONENT:

DR. QUINCKE. DR. WALDECK. R. DANN, JUR. CAND.

---

BEROLINI,  
TYPIS FRATRUM UNGER.



COMMENTATIO DE PARACUSI

SIVE

DE AUDITU HALLUCINATIONIBUS.

QUAM

ACADEMIAE PRAESIDIUM ET LECTIOES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM PRAEDICAE GIESSENENSIS

Qui solertius conjectat, felicius curat; qui de theoria sua non dubitat, lectores dicit.

Sauvages.

AUTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

DIE XX. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCLXX.

H. C. G. S.

PER SEIPSUM

ACTOR

D. EDMUNDUS DANK

OPONIT:

DR. QUINER, DR. WALDEN, H. DAN, DR. GARD

BEROLINI

TIPI PRESSUM TUGER

## I N T R O D U C T I O.

---

### §. 1.

**Q**ui in distribuendis auditus morbis spectat ad symptomata, tres habet morborum provincias: auditum imminutum (dysecoeam et cophosin), auditum nimium (oxyecoeam), auditum in modo non gradu mutatum (paracusin): de hoc ultimo in plagellis sequentibus tractabitur.

### §. 2.

*Paracusis* (obauditio, auditus depravatus, auditus hallucinationes) perceptio est sonorum, qui causam externam vel non sufficientem vel omnino nullam habent, itaque vel partim vel omnino in organo auditorio ipso nascuntur et soni interni nominantur. Jam paucis his verbis ambae paracuseos classes circumscriptae sunt: Paracusis sonos (externos) mutans et Paracusis sonos fingens.

### §. 3.

Cum tota quam secuti sumus morborum auditus distributio mere sit symptomata, itaque paracuseos nomen nonnisi symptomatum similitum coetum amplectatur, generales de obauditione animadversiones quispiam vix expectabit, potius interrogabit: cur symptomata non causalis morborum nobis praebet dispositio? In causa sunt angusti adhuc cognitionis otiatricae fines: etenim videmus in aure mutationes quarum non novimus in auditu effectus, contra percipimus auditus affectiones quarum causas in organo sitas non videmus, quam ob rem in omnibus fere libris otiatricis de morbis organi et de morbis sensationis (i. e. de symptomatibus morborum haud satis perspectorum) separatim tractatur, cum in otiatrica distributione tum causali tum symptomata prohi dolor! adhuc indigeamus. Caeterum programma hoc, quamvis sine magna paracusin curandi spe, eum in finem conscripsimus, ut casuum collectione et comparatione hostis natura clarius perspiciatur, quam paululum ad eum debellandum usque adhuc factum sit penitus intelligatur, quantum honoris et victoriae hoc in proelio adhuc restet facilius cognoscatur.



## CLASSIS PRIOR. PARACUSIS SONOS MUTANS.

(Anomalies acoustiques: Itard traité des maladies de l'oreille. Par. 1821. 8. tom. II. p. 39—43; übers. Weim. 1822. 8. S. 199—203).

## §. 4.

Percipiuntur soni extrinsecus quidem orti sed in aure mirum in modum mutati.

## I. PARACUSIS DUPLICATA (SAUVAGES), DIPLACUSIS (J. FRANK).

Conferantur:

Sauvages Nosologia methodica. Amstelod. 1768. 4. tom. I. p. 756.

K. G. Hesse über das Doppelhören in Hufeland's und Osann's Journal. 1826. Mai. S. 77—90.

## §. 5.

Quisque sonus (quodque verbum) duplex auditur, ita ut ambo soni vel non eodem tempore percipiantur vel quoad soni indolem vel utroque modo inter se discrepent. Respondet hoc vitium diplopie, sed multo rarior immo rarissimus est morbus, admodum molestus; nunquam adhuc ut natus, nunquam habitualis (sive constans), praecipue, quod Hesse monet, in hominibus musices peritis observatus. Potissimum catarrhi est comes vel potius sequela, cum in reconvalescentia (in Itardi observatione post dysecoeam) fiat. Sonus prior sanus videtur, sonus posterior aegrotus, plerumque debilior, saepius acutior quam gravior sano. Solet hic affectus una cum catarrho suapte evanescere, postquam in nonnullis casibus accurate observatis sonus falsus acutior semper factus erat. — Ergo in casu recenti catarrhus (praesertim derivantibus) curetur, ubi vero malum pertinacius fuit, nervina (aetheris vapores<sup>1</sup>), oleum hyoscyami infusum ad auris meatum externum appliciti, ipecacuanhae doses nauseam cientes) auxilium tulerunt; e quo suspicio nascitur, ne hac in affectione nervi (forsitan ii qui myringem musculorum ope dirigunt) laborent. Caeterum interdum etiam in sonitu aurium catarrhali (ut certe in me ipso observavi) sonus ante sanationem acutior sit, itaque non omni veritatis specie caret, ejusdem status morborum gradu majori syrigmum, gradu minori (quadam nervorum affectione accedente) diplacusin effici; atque hanc tam raram esse, quia in loco quasi intermedio inter aegritudinem et sanitatem versetur.

## §. 6.

*Causam proximam* tradere difficillimum est; oriri vitium ab ambarum aurium discrepantia, ita ut altera valeat, altera aegrotet, fere apud omnes constat; hoc enim plurimae observationes clare manifestant, et quamvis sint qui utrumque sonum eadem in aure nasci contendunt (Buchanan, Hesse, Gumpert), non tamen persuadent. Sed quae auris pars hoc in morbo peccat? Forsitan myrinx (membrana tympani) cum musculis suis, qui pro meo arbitrato relaxatione laborant. Equidem enim rem hoc modo mihi fingo: In sanitate myrinx ita

<sup>1</sup>) Fiunt phiola aetherem continente in aquam fervidam immersa.



tensa est ut semper una cum sonantibus aëris undis contremiscat, has igitur immutatas ad tympani aërem propaget; musculis autem myringem tendentibus relaxatis membrana aeris tremoribus percussa tremit quidem, non vero congrue cum aëre sed proprio Marte, et tum sonum edit pro majore vel minore tensione vel acutiorem vel graviolem: ita undas sonantes nonnisi mutatas propagat, uti per vitrum rubrum omnes res rubras videmus. In relaxatione adhuc majore non amplius sonus, sed sonitus tantum nascitur. Quo gradu relaxatio cedit, eodem acutior pro majore membranae tensione fit sonus, usque dum in perfecta sanitate proprius omnis myringis sonus desinat<sup>1)</sup>. Sonus proprio myringis motu mutatus quando admodum gravis est, tum propter majorem tremorum lentitudinem, tum propterea quod mentem minori vigori quam sonus acutus ferit, etiam hoc serior apparere potest. Buchanan (physiological illustrations of the organ of hearing. Lond. 1828. 8. p. 29 sq.) omnes fere auditus morbos a ceruminis defectu derivans, sonum in una eademque aure echus in modum duplicari censet; putat enim a myringe subtus inclinata cujusque soni partem ad inferiorem myringi propinquum aliquantulum excavatum meatus auditorii locum («depressional curve») reflecti, ibique in sanitate a cerumine absorberi; quando vero ceruminis secretio, quod in affectione auris catarrhali plerumque fit, laesa est, sonus reflexus a meatus pariete sicca ad myringem resilit itaque sonum secundum efficit! Hanc sententiam nonnisi joci causa narravimus ut quomodo aurium morbi in Anglico novissimo hac de re libro tractentur ostendamus, etenim in Germania, majus sane spatium requiri ut e sono resiliente echo fiat, quisque in rebus physicis tiro novit.

An in una aure auditus duplicari potest, dum sonus per fenestram ovalem traditus ab eo per fenestram rotundam discrepet?

#### §. 7.

*Casus* observati quos novimus sequuntur:

1) Duo a Sauvagesio narrati hi sunt: „Quidam eximius musicus, cum tibiam germanicam inflaret, percipiebat quidem sonum proprium et ordinarium suae tibiae, at simul alterum sonum ejusdem rhythmici seu mensurae sed diversi toni audiebat, qui proinde auditum duplicabat; non tamen erat echo, quia eodem ipso tempore ambo soni audiebantur, neque erant soni consonantes et harmonici, nam inde suavitas percepta fuisset<sup>2)</sup>: ille vero iterato per aliquot dies tentamine semper aegre tulit hunc sonum et tibiam abiecit; is vero vespere sub coelo frigido et humido aliquamdiu ambulaverat pridie hujus affectus et catarrho lateris dextri afficiebatur; — soluto catarrho auditus distinctus restitutus est. — Nuperrime peregrinus accessit ad collegam illustrissimum, consilium petens circa similem morbum; conquerebatur scilicet se a pluribus retro mensibus molestari ex eo quod cum alloquentem auscultaret, sonum huic proprium, et simul, quod tolerare vix poterat, alterum octava altiolem perciperet.« Hic monendum, sermonis voces omnino alius generis esse quam soni musicales, ita ut in illis intervalla musicalia nunquam adsint.

2) E. V. Home (in Philosophical transactions for 1800. p. 15.) exemplum habet eximii

<sup>1)</sup> Itard (t. I. p. 138. Uebers. Vorrede, p. VI.) in experimentis myringem in auditu sano omnino non tremantem vidit.

<sup>2)</sup> Hac de re Sauvagesium errasse, quamvis Itard ei consentiat, cum musicis theoria tum quod Gumpert et van Hoesen experti sunt docet.



musici, qui post refrigerium quemque sonum duplicem audiebat, ita quidem ut alter sonus alterum celerrime sequeretur, debilior et nota dimidia priore gravior. Affectio virum diu vehementer molestavit, tamen sponte evanuit. Home myringem fibris muscularibus (quas »radiated muscle» vocat) instructam censens, in aure secundum sonum edenti musculus radiatum minori vigore agere arbitratur, itaque analogiam ponit inter diplacusin et dittopiam e rectorum oculi musculorum affectione ortam. Apparet Homianae quoque explicationis nucleum esse myringis relaxationem.

3) J. P. Frank hominem novit, qui una fidium chorda tacta duos simul audiebat sonos. V. Ej. epit. de cur. hom. morb. lib. VII. ed. Eyerel Vienn. 1805. Sect. II. ubi de auditus perversi causa disseritur.

4) Jos. Frank (praxeos medicae universae praecepta. part. II. vol. I. sect. II. p. 948) semel hunc morbum vidit: »Videbantur aegrotae singula verba, quae audiebat, simul voce alta et profunda, veluti a duobus hominibus, proferri.» Laudat tanquam diplacuseos exempla habentes: Vogel in Diss. de cas. obs. med. chir. Goett. 1668 et Priestley in med. repository vol. IV. N. 3. Art. 8, quos libros nancisci nobis non contigit.

5) Quod Itard (t. II. p. 43) narrat, foemina, quae surditate quodammodo intermittente laborabat, in quaque reconvalescentia propriae vocis sonos, quando lente et distincte editerant, duplices audiebat, et sonus quidem imitans semper acutior fuit voce naturali vel acutissima facta; effectum erat hoc phaenomenon inaequali aurium reconvalescentia, etenim clausa alternatim hac et illa aure, sonus aut naturalis aut acutior percipiebatur: vaporisationes aetheraei in aurem e qua ulterior provenit pluries auditum sanum restituerunt, non tamen durantem et constantem effectum habuerunt.

6) Apud van Hoeven (Diss. de morbis aurium auditusque. Lugd. Batav. 1824. 8. p. 23. cf. Hesse l. c. p. 87) legitur: Vir litteris deditus post catarrhum caput valde afficientem cum tibiam inflaret nonnisi dissonantias audiebat, cum sonus in utraque aure nota dimidia discreparet, quod omnem musicam intolerabilem reddebat; sonorum distantia paulopost ad octavam aucta minus quidem molesta erat, tamen adhuc duo soni diversi semper percipiebantur usque dum auditus sanus demum rediret.

7) Auctor libri: Die Kunst, die Krankheiten des Ohres und des Gehöres zu heilen; Gotha u. Erf. 1825. 8. p. 332. casum vidit »wo ein Mann, nach einer heftigen Erkältung, jeden Sprechenden doppelt, zwar gleichzeitig, aber einen Ton schwächer vernahm. Als diaphoretische Mittel nichts halfen, hob die Ipecacuanha in kleinen Dosen, wo sie eine leichte Uebelkeit bewirkte, das Übel völlig.«

8) Hesse diplacusin bis observavit: Mulier 58 annorum m. majo a. 1825 vehementi faciei erysipelate, gravedine et ambarum aurium dolore fluxuque affecta pro magna sua molestia dupliciter audiebat: alterum sonum rectum, alterum debiliorem et obtusum (»leiser, stumpf und hohl«). Quando aures linteo muniret aliquod sentiebat auxilium. In utraque aure dupliciter se audire contendit, sed cum H. utramque aurem alternatim obturaret, »apparuit in recta tantum aure sensationem esse falsam.« Diplacuisis, interdum minor facta, post octo demum septimanas, cum gravedo, otalgia et otorrhoea jam antea desiissent, nullis remediis adhibitis cessavit. Hujus mulieris filia 15 annorum vehementi rheumatismo, dentium aurium-



que dolore correpta, omnia bis audiebat; ut dicebat utraque aure; alter sonus altero debilior et obtusior videbatur, nec diplacuis erat continua, eaque auribus linteo tectis debilior fieri vel omnino evanescere solebat. Cum primum aegra, caeterum jam reconvalescens, ad medicum de isto affectu quereretur, is jam non aderat.

9) Observationem admodum accuratam itaque instrumentem Dr. Gumpert in se ipso factam narrat (Hufeland's und Osann's Journ. 1828. Sept. p. 129—131): Antea nunquam aurium affectu molestatus ad finem m. martii a. 1826 caeterum omnino sanus inflammationem auriculae dextrae incipientem vidit eamque quae per diem unam duraverat sanguisugis dissipavit: diebus duabus praeterlapsis tumor evanuerat ac sensationis morbosae perpauca adhuc restabat, cum diplacuis accideret; dum familiaris Gumpertum alloqueretur, hic illum audivit, simulque alium adhuc hominem ab auris dextrae directione loquentem audire sibi visus est, atque ab hoc tempore affectio sine intermissione per octo dies duravit, ubi post olei hyoseyami infusi instillationem celeriter et omnino evanuit, auditum auris dextrae nonnisi aliquantulum debilitatum relinquens. Sonitus aurium nunquam adfuit. Alter sonus gravior, alter acutior erat, ille e propinquo, hic e duorum vel trium cubitorum distantia venire videbatur. Discrepantia amborum sonorum non semper eadem erat; ab initio tertia vel quarta, postea usque ad octavam aucta est; ideo instrumento musico aegrotus singulos quidem sonos edere valuit, sed plurium sonorum concentum non sustinuit; eadem ratio erat inter colloquium cum uno homine et plurium sermocinationem. Gumpert utrumque sonum in aure dextra ortum censet, quia clausa aure sinistra diplacuis augebatur, tonus clarior et stringentior («lauter und schneidender») fiebat, clausa aure dextra sonus erat mitior et sustentu facilius, nunquam vero omnino desiit, aure vel arctissime obturata: quod solum jam Gumperti sententiam perdit. Meatus auditorius externus difficillime tam perfecte clauditur ut nihil per eum percipiatur <sup>1)</sup> (ut de soni per cranii ossa propagatione taceamus), itaque Gumpert in experimento semper ambabus auribus audisse videtur.

10) Buchanan (v. supra §. 6) narrat: Vir post nimis frequentia balnea pluvialia («shower bath») levem meatus inflammationem, magnam dysecoeam et sonitum aurium (ut B. arbitratur a cuticulae partim abrepto frustulo quod in meatu vibrabat) accepit: simul quodque verbum ei dictum iterabatur, distinctissime quidem ultimum periodi verbum; sonitus in sermocinatione semper augebatur usque dum nihil nisi ultimum sermonis verbum cum iteratione perciperetur. Sanatio facta est «perfecta» ope pilularum ex opio et rheo et injectione ex acido pyroxylico (quo ceruminis secretio foveretur).

## II. PARACUSIS MUSICALIS; P. QUOAD TONUM IPSUM.

### §. S.

Erratur de toni altitudine. Haec affectio quamvis raro sane medicorum observationi obvieniatur, tamen haud rara est, tum congenita tum acquisita. Congenita affectio auditus falsus sive auditionis musicalis defectus vocatur et consistit in justo minori nervi auditorii sensibilitate quoad tonorum altitudinem, ita ut parvae altitudinis differentiae non sentiantur ideo-

<sup>1)</sup> cf. Itard l. c. t. 1. p. 147. Uebers. Vorrede p. VIII.



que sonus cum sono paululum altiori confundatur. Affectus hic analogon est ejus in visu, qua homines quosdam colores (plerumque viridem et rubrum) distinguere non valent. Paracuseos musicalis acquisita in auribus et hominibus vel sanissimis accidit, plerumque mox sua sponte abitura, etenim acquisitam per vitam durasse nunquam est observatum.

§. 9.

Sunt qui putent (e. g. van Hoeven l. c. p. 75 et alii <sup>1)</sup>) auditionem falsam pendere a discrepante ambarum aurium structura, ita ut utriusque auris sonus ab altero differat; sed homines auditu recto destituti non dissonantias semper audiunt, potius sonos diversos non satis discernunt, nec raro hoc vitium diligenti exercitatione corrigitur, quapropter nervosam rei causam suspicari licet, et quidem pro ea quam Chevalier (Froriep's Notizen. 1830. Apr. N. 578. Bd. 6. N. 27. p. 81) defendit auris physiologiam, nervi in canalium semicircularium ampullis (tonorum altitudini judicandae addictis) in culpa erunt putandi. Affectionis acquisitae causa nervorum quaedam est debilitas ex asthenia indirecta vel directa. Illa saepissime accidit, nimia parvis tonorum differentiis tributa attentione, nimio auditionis musicalis usu e. g. si, qui hac in re minus est versatus, clavicymbali chordas ad justos tonos temperare conatur, vel si quis praesertim auribus catarrho vel simili affectu jam debilitatis musicae operam justo majorem tribuit. Hujuscemodi observationem Itard habet (t. II. p. 40. Uebers. S. 199.): Cantator quotiescunque acutas voces cantare vellet, propriae vocis soni in aure sensationem confusam genuerunt, quae eum voces minus acutas edere fecit («détonner»). Eundem soni ab instrumento vel chordato vel inflato editi habuerunt effectum, nisi instrumentum procul abesset; etenim e distantia quadam perceptio erat justa. Quies organo aegroto per aliquot hebdomades concessa, hirudinem bis instituta applicatio, capitis aqua frigida factae lotiones malum fugarunt. Paracuseos musicalis ex asthenia directa ortae exemplum narrat Home (l. c.): Vir 33 annorum auditionis eximie musicalis subito vertigine cum parvo lateris et brachii dextri torpore («numbness») corripitur: qui affectus post paucas quidem horas desiit sed aliquot septimanarum spatio saepius iterabatur. Mox apparuit, auditum musicalem omnino aufugisse, ita ut vir, quamquam acie auditus nequaquam laesa, nec notam justo tono proferre neque in aliorum musica harmoniam ullam sentire valeret. Rus petiit ibique e corporis exercitatione et balneis marinis magnum fructum percepit, ut post viginti menses cantilenam Scotam mediocriter cantare posset et post duos vel tres annos auditione omnino restituta gauderet. — Memoriae sane dignus est casus ab eodem scriptore narratus de femina; auditu musicali prorsus destituta, quae, cum maniaca facta esset, saepius ad magnum familiarium stuporem haud prorsus inepte cantabat. Home horum omnium causam musculorum myringem tendentium nervos spectat: sed origo, ni fallimur, in labyrintho vel in cerebro ipso latet.

Alius (Kunst die Krankheiten des Ohres etc. zu heilen p. 331.) paracuseos musicalis *partialis* exemplum refert: »Ich kannte einen Violinspieler, der bloss einen und denselben Ton seines Instrumentes falsch vernahm, und daher längere Zeit seine Mitspieler corrigirte, bis er sich von der krankhaften Affection seines Gehörnervens selbst überzeugte.« — J. P.

<sup>1)</sup> cf. Dictionnaire des sciences médicales: Audition; sub fine.



Frankium musices magister consuluit, quod tonos dimidio tono graviore plerumque audiret (v. supra §. 7. n. 3).

Paracosis musicalis partialis similis est oxyecoeae partiali, quo factum est, ut Itard in capitulo de anomalis acusticis (p. 40 et 41) duo narret exempla ad oxyecoeam pertinentia. In oxyecoea partiali toni cujusdam perceptio est molesta vel dolorifica, quod in paracosi musicali con contingit <sup>1)</sup>).

### III. PARACOSIS LENTA; P. QUOAD TEMPUS.

#### §. 10.

De ea unus Eshke (Diss. de auditus vitiis. Berol. 1819. 8. p. 55) haec verba facit: »Aegri interdum multo serius audiunt, quam reliqui omnes, quod in clarissimi Berends instituto clinico observavi in hypochondriaco, qui voces quidem audivit quascunque imo submissa voce elocutas sed non nisi interjecto solito majore temporis intervallo.« Si haec affectio re vera non iudicii sed auditus vitium sit, ejus causa lateat in nervo, impressiones acceptas tardius ad mentem perducente, necesse videtur. — An paracosis lenta oriri potest, ubi ambae aures eo afficiuntur modo, quo una auris, in paracosi duplicata, sonum seriore audiens?

### IV. PARACOSIS LOCALIS; P. QUOAD LOCUM.

#### §. 11.

Percipitur sonus omnis, sed erratur de loco e quo sonus proficiscitur; vel aegri omnem sonum e loco remoto audire sibi videntur, quod Eshke (l. c. p. 54.) narrat, exempla non tradens, vel affectionem patiuntur, quam Sauvages (Nosologia methodica t. II. p. 198) haud sane aptissime »*syrigium vertiginosum*« appellat, atque his verbis circumscribit: »Singularis est symptoma vertiginis quandoque comes, necdum ab autoribus animadversus, quo fit ut, dum quis loquitur a dextris, ejus verba videantur a sinistris procedere, aut vice versa; error ille acusticus est cognitus, verum a vitio interno pendens et morbum fugacem concomitans mihi novus videtur et ab eodem principio procedit in nervis acusticis, a quo vertigo in opticis. In illa vertigine quam actu observo hoc est singularis quod objecta nequaquam loco moveri videantur, sed aegra subito sibi videtur ita vacillans ut lapsum metuat sicut in vulgari vertigine.« Aliam observationem in scriptoribus recitatam non reperi et de Sauvagesii aegra suspicor, ne illa sonorum actione nimis affecta lipothymiam pateretur (quod in hominibus valde sensibilibus et debilitatis haud raro accidit), itaque lipothymia id faceret, quod Sauvages syrigmo vertiginoso (qui cum syrigmus non esset aptius vertigo auditoria fuisset nominatus) adscribit.

#### §. 12.

Valsalva (v. Morgagni Epistolae anatomicae. epist. XIII. n. 12) postquam tribus canibus utrasque tympani membranas perforasset auditus mutationem tum mox post operationem tum pluribus mensibus postea fere nullam observavit: una tamen canis cum quinquaginta dies post operationem perfecte audiisset, subito non discernere potuit, undenam sonus veniat, ita

<sup>1)</sup> In morbo „Paracosis Willisiana“ vocato auditus non est depravatus sed imminutus.



ut quando nomine appellaretur caput ad regionem falsam tenderet; sed haec affectio cum per mensem durasset evanuit atque auditus in pristinam perfectionem restitutus per plures menses usque ad bestiae necem mansit. Morgagni hoc malum ea re esse effectum censet, quod ante ejus initium canis a Valsalvae famulo tam vehementem capitis ictum accepit ut apoplecticae instar jacuerit: nec nos possumus illi non consentire. In reliquis duabus canibus interceptis myringes omnino sanae fuerunt, in illa vero cane altera myrinx crassa et *plana* (nec, ut fas est, intus convexa, extus concava): itaque Morgagni iis, quibus prior istius mali explicatio minus placuerit, hanc proponit: mutato myringis situ et directione aurem de sonorum directione decipi. Sed experimenta in statu sano facta docent: sonorum directionem ipsam auribus non percipi sed ratiocinatione detegi. Venturi (Betrachtungen über die Erkenntniss der Entfernung, die wir durch das Werkzeug des Gehörs erhalten; in Reil's Archiv für Physiologie. Bd. 5. Halle, 1802. Heft 3. S. 382—392; et in Voigt's Magazin für Naturkunde Bd. 2. St. 1.) experimentis illustravit, optime audiri, quando corpus sonans perpendiculariter ergo auriculae planum sit situm, quam directionem ideo axin auditionis («Höraxe») vocat <sup>1)</sup>, et corporis sonantis locum e vi sola concludi, qua vel ambas vel alterutram aurem sonus tangat; ita ut sonus utramque aurem pari vi movens recta via aut ante nos aut post nos ortus censeatur; corpus sonans magis ad dextrum vel ad sinistrum collocatum putetur, quo magis dextra vel sinistra aure audiatur; creditur eo remotius, quo debilior est sonus, creditur denique, altera aure arcte clausa et capite immoto, omnis sonus ex alterius auris axi auditionis venire: commoto quidem capite e diverso soni vigore diversae capitis directioni respondente verum soni originem percipimus. Plerumque haec perceptio aequae oculis atque auribus juvatur: quando corpus sonans nobis non adspectum in aliqua distantia celeriter movetur (e. g. curris in via urbis publica, nobis in camera sedentibus), saepissime motus directionem omnino ignoramus; quia in parva differentia inter maximam et minimam corporis a nobis distantiam etiam soni vis perpaucum mutatur.

Ex his omnibus sequi videtur:

- 1) Soni directio non auditur sed e vigore concluditur.
- 2) Cum nostra soni directionem cognoscendi facultas in sanitate ipsa tam parva sit, ejus abolitio non tantas quam vertigo affectus habere potest, quod Sauvages contendit.
- 3) Cum soni directionem cognoscere non auditus sed ratiocinii sit, error de sonorum origine locali non est auditus vitium. — Qui omnes sonos tanquam e magna distantia venientes audiunt dysecoea laborant.

<sup>1)</sup> Haec experimenta adhuc ignorans in me ipso observavi, optime audiri quando corpus sonans ab auris latere et paulum antrorsum situm est.



## CLASSIS ALTERA. PARACUSIS SONOS FINGENS.

## §. 13.

Audiuntur soni qui extra aures non existunt. — Quando nonnisi simplex sonus, merus sonitus percipitur, affectio *Syrigmus* vocatur; quando vero soni percepti certis sönis externis vel etiam vocibus articulatis similiore vel pares fiunt, ut jam auribus solis, utrum toni illi vere existant annon, discerni vix queat, *Phantasmata auditoria* appellanda videntur.

Omnia haec symptomata frequentissima sunt in morbis cerebrum vehementer turbantibus: in febribus acutis, praesertim nervosis, encephalotide, mentis denique affectionibus. Utrum visus an auditus illusiones sint frequentiores, sub iudice adhuc lis est; equidem in hominibus valde aegrotantibus visum, in hominibus caeterum sanis auditum (praesertim syrigmo) saepius decipi arbitror <sup>1)</sup>.

## I. SYRIGMUS; SONITUS AURIUM (Ohrentönen).

## §. 14.

Conferantur:

Celsus de medicina. lib. 6. c. 7.

Galenus de compositione medicaminum secundum locos. I. 3. c. 1. sub titulo: de sonitu aurium.

Aëtius tetrabiblos; passim: I. sect. 4. c. 12. II. sect. 2. c. 73—88.

Averroës Collectanea III. 37. et IV. 48.

Alexander Trallianus de arte medica. lib. 2. c. 3.

J. Arculanus Practica particularium morborum omnium; ed. J. Marinellus. Venet. 1560. fol. (est commentarius in nonum Rhasis librum.) c. 37. p. 122—125.

Hier. Mercurialis de oculorum et aurium affectibus praelectiones. Francof. 1591. 8. p. 160—170. (lecturis commendandum).

Petr. Forest observationes et curationes medicinales. Francof. 1602. fol. lib. 12. obs. 10 et 11 p. 71—74.

Zeidler diss. de aurium tinnitu. 4. Lips. 1630.

Brehm diss. de auditu in genere et tinnitu aurium perpetuo. 4. Ingostadii, 1651.

Sennert Medicina practica. 1654. 4. lib. 1. part. 3. sect. 3. c. 6. p. 904—913.

Diemerbroeck disp. de gravi auditu et aurium tinnitu; defensa ab Jac. ab Emmenes Traject. ad Rhen. 1655. 4. (IV plagellae; omnino nullius momenti).

Schenk diss. de tinnitu aurium. 4. Jen. 1667.

Fel. Plater observationes. ed. Franc. Plater Basil. 1680. 8. lib. 1. p. 113—121. (obs. multum docentes).

Crausius Diss. de tinnitu aurium. 4. Jen. 1681.

<sup>1)</sup> cf. Haslam obs. on madness and melancholy. ed. 2. Lond. 1809. p. 69.



Duverney de organo auditus; latine versus Norimb. 1684. 4. p. 47 et 48. (verdeutsch v. Mischel Berl. 1737. p. 167 sqq.)

Helbich diss. de sonitu et tinnitu aurium. 4. Altorf. 1699.

Finckenau diss. de tinnitu aurium. 4. Regiomontii. 1706.

Baumgärtner praes. Jantcke; diss. de tinnitu aurium ejusdemque speciebus. Altorfii 1746. 4.

Dittrich praes. de Bergen diss. de morbis auris internae. Francof. ad Viadr. 1754. 4. p. 13—17.

Sauvages Nosologia methodica. Amstelod. 1768. 4. tom. 2. p. 193—199.

Cartheuser (Wolter) diss. de susurratione et tinnitu aurium; Francof. ad Viadr. 1770. 4.; etiam in Carth. diss. select. Francof. ad Viadr. 1775. 8. n. 9. p. 206.

Schedet diss. de tinnitu aurium. Duisburg, 1784. 4. et Wesener diss. de susurru aurium. Duisb. 1785. 4. (ambas dissertationes conscripsit cel. Leidenfrost; utriusque epitomen reperies: Ritter und Lentin über das schwere Gehör und die Heilung der Gehörfehler; herausgeg. v. Niceus. Leipz. 1794. 8. p. 217—227).

Itard in: Dictionnaire des sciences médicales. tom. 3. Par. 1813. sub voce: Bourdonnement.

Sommer de syrigmo. Viteberg. 1814.

Conradi Grundriss der besondern Pathologie und Therapie. 2. Aufl. Marburg. 1820. 8. Bd. 2. S. 755—757.

Itard traité des maladies de l'oreille etc. 8. Par. 1821. tom. 2. p. 14—39. (Uebers. S. 179—199).

Beck die Krankheiten des Gehörorganes. 8. Heidelb. und Leipz. 1827. S. 237—245.

Saissy über die Krankheiten des innern Ohres; aus dem Französ. mit Anmerk. von Westrumb. Götting. 1829. 8. 142—149.

Hofmann diss. de paracusi. Berol. 1830. 8.

Caeteri qui de auditus morbis scripserunt, de syrigmo aut nihil, aut perpauca dixerunt, ut Heurnius, Desmonceaux, Frize, Eschke, et alii.

#### §. 15.

Syrigium jam Averroës, nec sane falso, omnium auris morborum frequentissimum dixit atque *auditum phantasticum* vocavit. Sani homines justam sibi formare vix valent ideam molestiae, quam hic morbus aliqua vehementia aegrum tenens affert; etenim fere inter omnes affectiones morbosas haec consuetudine minime mitigatur. Continuitate sua vel maximam patientiam defatigat, melancholiam gignit et somnum fugat: Itard mulierem vidit hoc morbo ita affectam ut familiaribus amentia stupida correpta videretur. Equidem in me ipso compertus sum sempiternus ille sonitus, auditum diminuens, colloquium impediens, animum quantopere deprimat; continuo animi attentionem ad aurem attrahens omnia negotia turbat. Caeterum sonitus ille internus aequae atque externus debiliorum tonorum perceptionem impedit.

#### §. 16.

Jam Duverney quia non certus sonus, sed sonitus tantum percipiatur, hunc morbum cum photopsia comparat, in qua lux quidem sed certi nec coloris nec formae aspicitur. Et



hac soni simplicitate, quae extra aurem vix reperitur, syrigmus maxime a phantasmatibus auditoriis differt. Tamen mali forma ad modum varia est. Modo sonos acutos, modo graves audiri potissimum ad oculos est, sed hanc divisionem extremos tantum mali fines indicantem qui sequitur, perpaucis aegrorum relationibus justum systematis locum dare poterit, cum ab altero fine ad alterum innumerabiles adsint gradus, qui certis quidem carceribus circumscribi prorsus non possunt, optime tamen pro meo arbitrato et experientia distributione hac tripartita (quae jam Arculano placuit) colliguntur:

1) *Susurrus (bombus) aurium*, Summen und Brummen im Ohr. Percipitur sonus vocalibus U vel O similis. Sani hunc sibi efficiunt, quando meatum auditorium externum digito, vel totam aurem vola manus leviter claudunt. Huc pertinet syrigmus fluvium, rotas molares, ventum etc. imitans.

2) *Strepitus (tinnitus) aurium*, Sausen und Brausen im Ohr. Auditor sonus vocalibus A et E similis, e. g. aquae bullientis, foliorum arborum, pluviae, apium volantium et strepentium, rhedae vectae et multorum aliorum; etenim de hac forma plerique aegroti queruntur. In sanis hic sonitus admota propius cava manu vel concha auri apposita producitur; et tum hoc tum prius experimentum optime cedit in capitis calore praeter solitum aucto.

3) *Sibilus aurium*, Singen und Klingen im Ohr; auditur sonus acutissimus, vocali I affinis. Omnes vel sanissimi hunc sonum novimus, de quo superstitio est, male nobis dici quando eum audiamus <sup>1)</sup>.

Caeterum hac in distributione nihil essentialis est; eadem enim causa vel hanc vel illam formam gignit, et syrigmum catarrhalem in me ipso omnes tres species percurrentem vidi, ita ut a gravissimo sono inciperet, et in dies acutior factus in acutissimo desineret. In majore partium ad auditum facientium relaxatione (e. g. in catarrho) graviores, in majore tensione (e. g. in vera inflammatione) acutiores soni fieri solent. Eschke quidem (diss. de auditu vitiis p. 52) citat: »Fr. Hoffmann Med. consult. t. 2. p. 269 sic habet: Quoties ventus humidus spiravit aegrotus susurro, quoties vero venti sicciiores, tinnitu cruciabatur«: at in loco citato haec verba non reperiuntur. Notus iste J. J. Rousseau uno eodemque tempore non illas tres tantum sonitus formas sed vehementem quoque in aure pulsationem patiebatur (ej. Confessions part. 1. liv. 5 et 6 passim; Itard traité t. II. p. 35—39; Uebers. S. 195—199). Etenim sonitus aut *aequalis* est i. e. uno tenore fiens (e. g. flumen, ventus), aut *interceptus*, singulos ictus exhibens; hic vel *regularis* est, cum arteriarum pulsu congruus atque ab hoc dependens; vel *irregularis*, cujus causa in nervorum affectionibus praesertim spasmodicis jacet (Leidenfrost). Sonitus pulsatorius etiam sanis interdum accidit post vehementem corporis motum (e. g. in scalis ascendendis); et quando sibilans est ab aegrotis cum tintinabuli vel horologii portatilis ictibus comparatur. Tam vehemens interdum pulsatio in aure est et capite, ut vel ab hominibus adstantibus audiatur, sicut Duverney de muliere quadam narrat, quae tantam pulsationem post vehementem quemque motum patiebatur, et equidem ipse medici cujusdam uxorem novi, magna cephaloea saepe laborantem, in cujus capite inter-

<sup>1)</sup> Monere liceat, hanc superstitionem non solum Sauvagesio quoque Monspelliensi cognitam esse, sed etiam jam a Plinio (hist. nat. lib. 28. c. 2.) tanquam antiquam referri.



dum talis accidebat pulsatio, ut vir aure sua uxoris capiti admota ipse ictus audiret <sup>1)</sup>. — Aut unam aurem sonitus corrumpit aut utramque, omnium vero pessime homines afficit, si in altera aure alius quam in altera audiatur (Leidenfrost apud Wesener p. 5.).

§. 17.

Omnis syrigmus aut continuus est, aut remittens (qualis catarrhalis, ad vesperam exacerbationes faciens), aut intermittens sive periodicus; interdum augetur, quando aegri in hoc aut illo latere incumbant, vel post coenam; intermittit mane vel pomeridie; augetur interdum in aëre crasso et humido, remittit in aëre puro et sereno, atque in Fr. Hoffmanni casu (Med. consult. pars XI. dec. 2. cas. 10. p. 132—139) ita mutabatur saepe jam pridie mutationis in aëre factae. Forest (lib. 12. obs. 11. p. 73.) exemplum hominis narrat, »qui hectica febre cum laboraret, ac per integrum fere annum aegrotasset ex cerebri debilitate, tinnitu aurium capiebatur: potissimum vero post semihoram a cibo sumpto illud accidens eveniebat, sed rursus decumbente in lecto sonitus ille cessabat.«

Multo saepius syrigmus symptomaticus est quam idiopathicus; venit in plerisque morbis peracutis, haud spernendum signum prognosticum praebens; venit porro in plerisque aurium morbis una cum auditus difficultate. Cum et ipse auditionis difficultatem afferat, haud facile dignoscitur, utrum dysecoae comes sit an causa, quod tamen discrimen maximi in curatione est momenti. Lucem hac in re sibi aliquam accendet, qui accurate scrutabitur, quae mali fuerit causa? utrum dysecoea an sonitus prior adfuerit? num remittente syrigmo (e. g. carotidibus compressis) auditus augeatur? utrum auditus diminutio rectam habeat cum sonitu rationem an hic minor sit, quam qui tantam diminutionem afferre valeat? Examen hoc permagna diligentia instituas; etenim omnes fere surdi et surdastris syrigmo laborantes hanc solam auditus difficilis causam esse persuasum sibi habent: tum quia haec causa ad manus et oculos esse videtur, tum quia surditas magis quam sonitus timetur, tum quia dysecoea nonnisi in hominum consortio sonitus autem continuo aegros excruciat. Itard distinctionem gravissimam, neque immerito, censet inter sonitum *verum* et *falsum* (jam a Duverneyo prolata); etenim est haec causalis, cum syrigmus *verus* vocetur, quando sonus verus adest, non vero externus, sed in aure ipsa ortus (e. g. ab arteriis ibi pulsantibus), contra *falsus*, quando nulla causa extra nervos auditorios ipsos existit.

§. 18.

Sed syrigmi nec veri nec falsi unus tantum datur fons, itaque jam *causas* singulas spectemus <sup>1)</sup>:

1) Aëris libera in auribus circulatio impedita; quod fit tubae Eustachii vel meatus

<sup>1)</sup> Sed praeter haec duo nulla pulsationis adstantibus auditae exempla mihi innotuerunt.

<sup>2)</sup> Veteres omnes principalem syrigmi causam putabant innatum auri aërem, a vaporibus flatibusque e toto corpore, praecipue e stomacho et cerebro venientibus commotum, quapropter Reusner quidam vapores per tubulum argenteum deauratum exsugendos docuit: Duverney jam melioris est cognitionis. — Saeculo praeterito, potissimum sub ejus fine, praecipue spastici musculorum auditus interiorum myringisque tremores accusabantur, sed temere ut videtur. cf. Joerdens praes. Wedel diss. de auditu vitiis. Jen. 1720. 4. p. 13. Pistorius praes. Alberti diss. de causis vitiorum auditus. Hal. 1752. 4. p. 21. Brendel praelectiones academicae. Lips. 1794. 8. tom. 3. p. 41.



externi praeclusionione vel coarctatione, per polypos, tumores, corpora extranea illapsa, parietum laxitatem vel concretionem etc. Aër in aure contentus calore animali expansus aufugere et parem elasticitatem quam reliqua atmosphaera accipere cupiens in praeclusionione ad carceris parietes allidit, sonum obtusum ciens; in coarctatione per rimam angustiozem ruere coactus sonum acutiorem efficit. — Nullum tamen sonitus exemplum mihi innotuit qui ex hoc solo fonte provenerit: plerumque status congestivus vel inflammatorius accedit.

2) Myringis caeterarumque partium nimia laxitas, ut vel solitis et sana aure non auditis aëris undulationibus concutiantur et sonum aliquem producant.

3) Maxillae inferioris motus. Fossa glenoidalis in qua maxillae inferioris condylus articulatur a tympano per laminam osseam haud valde crassam separatur. Quando igitur maxillae motus est moderatus, tunc in aure vicina sonum non excitat, ipsa cartilagine interarticulari sonum obtundente. Sin vero maxilla inferior motu immoderato agitatur v. c. si quis nucis durioris putamen dentibus confringere tentat, vel si meniscus exaescit, in aure fragor et susurri species producitur. Et scribit Leidenfrost (Wesener p. 12—15; Harless rheinische Jahrbücher für Medizin. Bd. 10. St. 1. S. 79—82), (praeter eum nemo hac de re): „In Batavis terris atque etiam in nostra ad Rhenum inferiorem regione satis frequenter hominibus tam in senili quam in juvenili aetate utriusque sexus sensim exaescit cartilago illa interarticularis. Tunc sub manducatione et loquela ex collisione et frictione utriusque ossis pedetentim oritur crepitatio auris, eaque cum procedente cartilaginis exsiccatione continuo crescit, quoties enim maxilla movetur, in aure sensus fit quasi serrae super volubilem asserem ductae, vel lignei sicci baculi subito diffracti, aut limae super laminam tenuem ferream ductae. Isque sonitus tam adversus et ingratus existit, ut homines a manducatione et loquela sibi quantum possunt temperent. Si protrahitur morbus praesertim in junioribus tum lente contabescit exterius illa regio quae sub aure est et aliquoties visa sunt in eo loco maligna ulcera nasci.» Subesse videntur scrophulosis, scorbutus, arthritis.

Simile aliquod nuper observavi in femina quae e febre continua ad nervosam tendente reconvalluit: haec dum loqueretur vel manducaret (praeterea non) »de ululatu in auribus» que-rebatur. Una cum debilitate hoc quoque symptoma desiit.

4) Fluida in aure interna; vel succi soliti depravati vel humores ibi praeter naturam coacervati e. g. aqua, mucus, pus (— Catarrhus membranarum auris internae —): nervos irritant, cum talia fluida his in locis tanquam corpora peregrina agent, itaque sonum fingunt, quia omnis nervi auditorii irritatio a sono proficisci solet. Vitiis aquulae acusticae e. g. ejus densitate, acrimonia, sonos internos effici posse Lentin (l. c. p. 123) haud sane falso monet, praesertim ut putat in hominibus catarrhosis (cf. Itard traité obs. 54), vel in quibus foetidi pedum sudores in sanguinem resorpti sunt, vel qui scorbuto, arthritide, ructibus acidis laborant (cf. Fr. Hoffmann medicina consultatoria t. 5. dec. 2. cas. 4. p. 115 qui in hypochondrorum syrigmo »mucum et serositatem in tympano» accusat). Maxime haec rei expositio mihi placet in arthritide, in qua quantum omnes humores animales ad crassitatem et duritatem tendant constat; ceruminis indurationem plerumque ab habitu arthritico pendere Trnka de Krzowitz (historia cophoseos p. 41 sqq.) demonstravit. Huc quoque forsitan trahendus



syrygmus ex exanthemate retento ortus (cf. Fr. Hoffmann med. consult. t. 7. dec. 5. cas. 8. p. 314). — Humores in tympano coarcevatos per fluctuationem sonum ciere, ut vulgo putatur, haud crediderim.

5) Longe frequentissima syrygmi causa in sanguinis fluxu latet. In culpa sunt vel arteriae vel venae; — vasa vel organo auditivo propinqua, vel in ipso labyrintho habitantia; — plethora vel universalis vel localis i. e. vel in capite vel in aure sola.

E causa arteriosa forsitan fit syrygmus pulsatorius regularis, e causa venosa sonitus aequalis et continuus: cognoscitur causa arteriosa ea re, quod compressis carotidibus sonitus evanescit, et redit compressione soluta, nec raro hoc experimentum cedit (Itard, Leidenfrost apud Schedet). A congestione in arteriis sonitum acutum, a congestione venosa sonitum gravem excitari Leidenfrost (Wesener l. c. p. 12) putat; atque ad hanc venosam susurrus numerandus videtur, qui collo nimis arcte constricto observatur. Caeterum omnis syrygmus arteriosus quaque vehementi corporis exercitatione augetur et ni fallor magis quam venosus, quem illo frequentiore censuerim, cum syrygmus aequalis continuus pulsatorio longe saepius accidat. A nimis sanguinis in canali carotico ictibus sensationem de campanarum pulsatione, a sanguine in foramine jugulari (specu et sacco Loweri, per tenuem tantum ossis lamellam a cavo tympani sejuncto) nimis cumulado et commoto ideam ingentis fluminis praecipitantis, vel molendini aquatilis Leidenfrost derivat (Wesener l. c. p. 11). Casum stupendae in auris pulsationis e carotidis externae aneurysmate Itard narrat (traité t. 2. p. 19. Uebers. S. 183.): et quando pulsatio tanta est, ut vel ab adstantibus percipiatur, hanc semper ab arteriis os petrosum cingentibus atque ad hoc allidentibus oriri arbitror, non vero a vasis organi internis, in quibus quidem frequentissima communis syrygmi causa jacet. Nunquam tamen in his dilatationes aneurysmaticas anatomia pathologica detexit; neque his ad ossa allidentibus sonum verum effici censeo, sed potius nimio irritamento sanguineo in nervis acusticis soni quasi imaginem cieri. — Huc referendae sunt omnes irritationes et congestiones, in toto capite vel in sola aure: inflammationes (e. g. a corporibus extraneis in meatum auris externum illapsis), apoplexia sanguinea, cordis vitia, humorum in abdomine stagnationes, crapula, morborum acutorum crises, metastases, ulcera inveterata incaute sanata, solita sanguinis profluvia suppressa (haemorrhoides, menstrua cf. Itard traité obs. 53), syphilis (internas auris membranas aequae ac tunicam Schneiderianam aggrediens), catarrhus etc. *Catarrhus* admodum frequens est causa remota, qui tum congestionem erga aurem, tum partium relaxationem, tum tubae Eustachianae membranis tumidis obstructionem, tum mucii in aure secretionem provocans valde variam sonitui viam struit: et maxime quidem animadvertendae sunt relaxatio et congestiones, praesertim in syrygmo catarrhali chronico; etenim vel in inveterato, quando nimia mucii secretio et tubae Eustachianae obstructio jam dudum evanuit, saepe ad vesperam calorem in aure auctam observavi, quocum statu haud raro secretionis ceruminis suppressio conjungitur.

#### §. 19.

Causae hucusque recensitae sonitum ciere vulgo putantur *verum*, quo *falsum* (ab ipso nervo pendentem) longe frequentiore esse Itard contendit. Haec ulterior species admodum variabilis est: facit remissiones, interdum veras intermissiones (e. g. durante dige-



stione), modo hos modo illos sonos imitatur, aucto sanguinis erga caput affluxu non crescit; quae omnia in sonitu non a nervis proficiscente omnino aliter vel minori in gradu reperiri solent. Nervi ratio diversa esse potest.

1) Auditus subtilitatem (Oxyecoeam) jam Galenus et Averroës et Avicenna (secutus ut videtur Alexandrum Trallianum cf. Mercurialis l. c. p. 162) inter syrigmi causas recensent; quia facit ut isti soni (e. g. sempiternae et solitae aëris undulationes, sanguinis in vasis motus), qui ob parvitatem sentiri non solent, audiantur. Haec causa saepe adest in febribus acutis, nervosis.

2) Nervi auditorii debilitas sonitum gignit eo modo, quo in oculis virium exinanitio sensationem quasi coloris »bleu mourant» vocati: omnes impressiones sensuales obtunduntur, confunduntur; audit quidem auris sed non certos, distinctos sonos, manetque nihil nisi generalis sonos percipiendi sensatio i. e. sonitus: transitus est ab audiendo ad nihil audire. Haec causa agit ante mortem, ante lipothymiam, ante surditatem nervosam, in quoque universalis debilitatis statu e. g. in reconvalescentia, puerperio, post magna profluvia, post nimia animi studia, lucubrationes, excessus in Venere etc. In perfecta surditate nervosa syrigmus nunquam adest (cf. Swan über die Lokalkrankheiten der Nerven; a. d. Engl. v. Franke. Leipz. 1824. 8. p. 14.)

3) Vehemens nervi acustici concussio, vel per gravem ictum vel magnum sonum: plerumque uterque conjunctus est; etenim gravis quisque ictus sonum efficit et sonus admodum fortis tales aëris motus ut corpus vere concutiant, atque id ictus cum vehementi sono commune habet, quod uterque vi sua debilitante nervi ipsius vigorem (asthenia indirecta) minuat, myringem laxet, congestiones passivas parat. Syrigmus post ictum analogon est scintillarum perceptioni post ictum ad oculum. Forest (l. c. p. 71.) syrigmum observavit in homine vertigini obnoxio qui tormentorum bellicorum ejaculationi propius adstiterat; et Plater (l. c. p. 112) narrat: »ex casu mulier aetate protracta in latus sinistrum, temporibus contra terram illis, tinnitu aurium adeo perseverante laborabat ut illo sono exteriorum impediens nihil fere audiret.»

4) Nervi acustici irritatio consensualis (et sensibilitas perversa). Haec origo est sonitus magnas capitis affectiones, dolorem faciei Fothergillii (cf. Franke adnot. ad Swan über die Lokalkrankheiten der Nerven p. 31.) comitantis, insultus epilepticos praegredientis. Maximus vero aurium consensus cum ventriculo et intestinis existit (cf. Rahn mirum inter caput et viscera abdominalia commercium. Goett. 1771. §. 20), atque hinc inter vermium intestinalium symptomata syrigmus ponitur, hinc Fr. Hoffmann (Medic. consultat. Pars 1. dec. 3. obs. 4. p. 131) sonitum ab acida ventriculi colluvie derivat, hinc frequens illa hypochondrorum et hystericarum de sonis non existentibus querela.

#### §. 20.

*Prognosis.* Nec de syrigmo tanquam signo in morbis, nec de syrigmo dysecocae vel surditatis sequela, sed de simplici tantum hic tractabitur.

Quo clarius causa cognoscitur et quo facilius removetur, eo tutius malum curatur; Celsus levissimum eum sonitum censet, qui e gravedine est; pejorem, ubi ex morbo, capitisve longis doloribus incidit; pessimum ubi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali pro-



venit. Qui e destructione menisci in maxillae inferioris articulo siti nascitur, medelam frequenter omnem respuit, cum cartilaginee nunquam recrescant; externa remedia unguenta aut fomenta, sive emollientia sive balsamica aut alia fuerint, incassum adhuc tentata sunt; forsitan interna antarthritica, antiscorbutica etc. aliquid boni praestabunt. Syrigmi e totius corporis vel capitis plethora etiam sanati saepe reveniunt; pertinacissimi sunt e locali aurium plethora profecti. Qui in morbis acutis accidunt plerumque una cum morbo ipso evanescent. — Itard omnem paracusin nonnisi surditatis antecessorem spectat, et potissimum hoc valet de syrigmo qui chronicos morbos supervenit; maximum cophoseos periculum habent sonitus e vera nervi auditorii exinanitione et debilitate; minimum, cujus fons est perversa nervorum sensibilitas e. g. in hypochondria; ut J. J. Rousseau horrendum syrigmum per triginta et plures annos sine ulla auditionis diminutione sustinuit. Surditas autem paratur ea re, quod sonus sempiternus nervi sensibilitatem exhauriens ejus acumen obtundit, quomodo continuus nivis splendor Lapponum visum habet.

In genere recens modo malum curatur, inveteratus vel etiam e simplici catarrho natus saepenumero omnia remedia ludit: quid quod sunt etiam sonitus recentes contra omnem medicinam obstinatissimi. Rhazes quidem post decimum demum annum auditus affectiones diurnitatis causa insanabiles censet: nobis vero multo minus temporis spatium jam sufficit; et sonitum qui per biennium duraverit rarissime curari jam Forest et Sennert monuerunt. Tamen non statim desperandum est, quod hodiernorum otiatrorum Scylla et Charybdis videtur: Fabr. Hildanus (observationes. cent. 6. obs. 10.) syrigmum quatuor annorum sanavit, e meatu auditorio externo gryllum sorde inviscatum et tympano adglutinatum extrahens; idemque (cent. 1. obs. 4.) gravissimas auri totiusque corporis affectiones quae per octo annos duraverant evanescere observavit, cum ex aure sinistra margaritam vitream eximisset.

#### §. 21.

*Curae experimentum saltem tunc quoque instituatur, quando sonitus surditatem insanabilem comitatur: etenim qui illum aufert etiam surdissimo quoque levamen maximum praebet.* — Ubi syrigmi causa est auditio diminuta aut nimia, manifesta aliqua auri affectio (e. g. otitis, tubae Eustachii vel meatus externi vel myringis vel tympani laesio), morbus aliquis universalis (e. g. hypochondria): haec secundum regulas generales tractentur. Duverney sonitum acutum ab inflammatione, gravem a catarrho venire, atque hanc ad normam curam dirigendam esse contendit: sed causas diligentius scruteris maxime est necessarium.

Caeterum in cujusque syrigmi curatione duo stadia observes; primum quaecunque sonum falsum in nervo ciere valeant removeas, postea nervum ad pristinum et justum vigorem reducas (cf. Forest): remedia ad priorem finem facientia interdum sola sufficiunt, sed qui his omissis statim ad roborantia venit plerumque non juvat saepe nocet.

#### §. 22.

Quae ad priora pertinent, haec sunt:

1) *Sanguinis missiones*, ubicunque congestionis suspicio adsit indicatae. Si adest plethora universalis, venaesectiones fiant in brachio vel pede, postea hirudines applicentur ad anum, in mulieribus adhuc vigentibus ad genitalia. Sic Itard viduam quae anno aetatis trigesimo tertio uxorem juvenem »qui usait avec prodigalité des droits de l'hymen« amiserat et



sonitu tali excruciabatur, ut fere amens et stupida videretur, celeriter sanavit. — Quando congestiones caput occupant, praeter eadem remedia epistaxis, sanguisugis ad internam alae nasi superficiem appositis, eliciatur. Quae si nullum fructum habuerint, hirudines ad collum ponantur et tanquam ultimum quoad vasa sanguifera refugium vena jugularis secetur. — Omnes vero sanguinis missiones per aliquod tantum tempus prodesse solent, nisi cibi pauci et minus conditi simul sumantur, corpusque multum moveatur et exerceatur; praeter haec in plethora capitis locali lotiones capitis cum aqua frigida et derivantia ad cutem et abdomen et pedes commendanda: in ea plethora, quae in aure sola esse videtur, a sanguinis missionibus nullum vel perparvum auxilium expectes.

2) *Remedia derivantia* ut in omnibus aurium morbis sic etiam in syrigmo permagni sunt momenti; potissimum quae evacuando derivant, et efficacissima sunt, quae in *tubo digestivo* hoc perficiunt. Huc pertinent: 1) *Emetica*; quae septimana sumantur in ea maxime catarrhi chronici specie, in qua syrigmum comitatur mucis tenacis copia in faucibus sese colligentis, tussim praesertim quando homines dormientes in tergo jacent cientes, loquelam impediens; observatur plurimum in hominibus ad catarrhos valde propensis, texturae laxae, cutis albae. In leviori hujus status pituitosi gradu *gargarismata* et *masticatoria* e radice pimpinellae, pyrethri, imperatoriae etc. vel etiam *sternutatoria* commendantur. — 2) *Resolventia*, ubicunque levissima obstructionum abdominalium suspicio adsit, et *digestionem promoventia*; praecipue in perversa nervorum sensibilitate, hypochondria etc. adhibeantur; hic etiam corporis motus est trahendus. — 3) *Alvum laxantia*, praeter veram debilitatem fere nunquam non indicatae et maximae semper efficaciae in quaque catarrhi et plethorae forma. In casibus recentibus alvus bis per hebdomadem fortiter purgetur, in casibus inveteratis binae vel ternae quotidie sedes cieantur.

*Ad cutem derivant*: 1) *Cucurbitulae* ad collum, ad scapulas, ad brachia applicatae, potissimum in plethora locali in subsidium vocandae, a veteribus medicis e. g. Platero saepius quam hodie usitatae. — 2) *Rubefacientia et vesicatoria*: pone aures, ad cervicem, ad brachia, ad suras ponenda: quibus in catarrho et acuto et chronico utimur; in catarrho chronico optimum mihi videbatur vesicatorium in cervice applicare et eo provocatam secretionem per plures hebdomades proferre; ad aures vesicatorium in acuto tantum catarrho ponere, et quando derivatio minus celer et minore molestia diutius sustinenda desideratur in brachio fonticulum aperire. — Baumgaertner (l. c. p. 2.) narrat: «Notabilem aliquot annos casum habui in ill. quadam Baronissa, cui ex febre ardente laboranti V. S. in brachio quinta vel sexta die fuit instituta: haec per aliquot septimanas talem strepitum et sonitum, qualis alias in molendinis auditur in auribus sustinuit, ut ne per temporis momentum dormire potuerit; restituta tamen per usum medicamentorum interiorum et exteriorum, praeprimis autem vesicatoriorum ad suras applicatorum.» — 2) *Sudorifera*; in catarrhis recentibus vel non admodum inveteratis; tum universalis, quae nota sunt, tum localia ad aures: e. g. panis secalinus vel communis vel multis cum condimentis (sale, cumino, foeniculo etc.) confectus, adhuc fervidus ut e fornace venit, crusta unius lateris demta, aceto conspersus, super aurem positus; quod remedium aequae antiquissimis ac novissimis temporibus efficaciam monstravit; gossypium camphora impraegnatum et in aurem immissum, pulvillus herbis aromaticis repletus; — fricare



dormitum ituri caput cum panno aqua fervida imbuto et tunc tegere caput linteo cerato (Wachstaff). — 3) *Pediluvium* calidum irritans (e. g. injecto ligni cinere) quaque vespera sumendum, nunquam fere nocivum et tum in catarrhis tum in plethora locali admodum efficax.

De *diureticorum* etiam usu exemplum exstat: Misc. Nat. Cur. Dec. 3. an. 4. obs. 12: »Foemina quaedam annum septuagesimum jam supragressa non solum auditus difficultate, sed etiam tinnitu aurium molestissimo afflicta licet varia medicamenta in usum vocaverit attamen ab iisdem nullum singulare percepit solatium: interim animadvertit, quod quoties urinam reddidit, toties etiam et quidem statim post mictionem tinnitus cessaverit: atque sic Euporisto suo deinceps omni tempore revertentem tinnitum felicissime abegit et curavit.»

§. 23.

Quodsi omnia bene audiendi impedimenta remota sunt, audiendi organon ipsum corroborandum est. Hoc fit in partium laxitate capitis lotionibus cum aqua frigida, tamen in proclivitate ad catarrhos admodum manifesta non adhibendis; homines catarrhosi contra, quibus emetica et similia conduxerunt, tabacum vel, quod Itard commendat, trifolium fibrinum siccatum tabaci in modum fument. Quando nervi ipsius debilitas a totius corporis statu pendet (e. g. in reconvalescentia e gravibus morbis) ante omnia china et ferrum laudanda; in debilitate locali pulvilli herbis aromaticis farcti, iustillationes in aurem nervinae, aromaticae, excitantes, spirituosae (e. g. spir. angelicae comp. acetum aromaticum, aetheris vapores). Sin vero nervi auditorii sensibilitas est perversa, antispasmodica (e. g. castoreum) et generalia et localia, praecipue aetheris vaporisationes in aurem, gossypium aethere impraegnatum auri immittendum commendantur: Fr. Hoffmann (Med. consult. Pars 2. dec. 2. cas. 1. p. 56—59) tinnitum mulieris contra omnia remedia obstinatissimum emplastro sedativo ex ung. de alabastro croco, camphora, oleo nucistae et oleo ligni Rhodii ad tempora posito mitigavit.

Ad nervina et excitantia localia fere omnia pertinent, quae contra syrigmum empirice commendantur e. g. camphorae, rutae recentis frustulum in aurem immittere, vel quod melius est rutam masticare atque halitum in aurem aegrotum flare (Itard in Dict. des scienc. méd. l. c.), Itardi remedium; Rec. Sem. Coriandri et Carvi. ana dr. ij Colocynth. dr. j. c. c. Ol. rutae; col. add. Aq. melissae spirit. dr. j. aliquot guttulae in aurem instillantur. Haec adhibeantur quando caetera omnia frustra sunt tentata.

§. 24.

Hanc semper sequaris regulam, ut quemque syrigmum tot viis aggrediaris quotquot pateant; sic Plater feminam illam, quae ex ictu sonitu laboravit, venaesectione, cucurbitulis, purgantibus, carminativis, instillationibus in aurem excitantibus, pulvillo aromatico, sudoriferis, capitis pedumque lavacris e lixivio cineris quercus cum calce paratis curavit; Itard (traité obs. 54) homini e multa pituita tenaci syrigmum sustinenti emeticum ex oxymelle scyllae quaque hebdomade repetendum, pilulas aloeticas ut quotidie (die emetici excepto) binas vel ternas sedes moverent, trifolium fibrinum quotidie mane fumandum praescrispsit et felicem vidit successum. Equidem in syrigmis inveteratis, nullum distinctum characterem prae se ferentibus qui admodum sunt frequentes), quamvis non tollendis tamen diminuendis, ex usu pulveris e sulphure et tartaro parati, capitis lotionibus frigidis, pediluvii irritantibus et crebro corporis motu multum fructum percepi.



## §. 25.

Nec tamen raro evenit ut omni studio et opera impensis neque ad curationem neque ad diminutionem sonitus perveniamus. In his casibus quando syrigmus tam violentus est ut omnem somnum fuget, Itard admodum ingeniosum somnum tutandi viam excogitavit: efficit sonum externum interni in modo similem sed in gradu validiorem itaque semper fere metam suam tangit. Ubi aeger strepitum remotum venti vel fluminis littora supragressi percipere sibi videtur ignis in camino satis fortis eum placat; idemque ignis ligno viridi vel leviter madefacto alitus sibilum lenit. Auditis campanarum sonis non admodum vehementibus prodest in pelvim magnam cupream demittere ex alto filum aquae e vase, cujus fundus foramen angustissimum habet, profluens. Quando sonitus machinam rotatoriam motam imitatur ponatur prope caput ad lectum ut Itard dicit: »quelque mécanique bruyante, mise en jeu par le bandement lent d'un ressort et adaptée à un jeu d'orgue ou quelque pendule prossière, dont on accélère le mouvement en ôtant le balancier.» — Ad hanc tractationis methodum ea re Itard adductus videtur, quod homines syrigmo vehementi cruciatos habitacula in frequentissima urbis regione petere ibique nonnisi horis diei tumultuosissimis dormire observaret (Dict. des sc. méd. l. c.)

## II. PHANTASMATA AUDITORIA.

Conferantur:

C. G. T. Kortum Beiträge zur praktischen Arzneiwissenschaft. Gött. 1796. S. 272—280.

B. Rush medical inquiries and observations upon the diseases of the mind. Philadelphia. 1812. 8. (of illusions p. 306—309).

Hesse in Hufeland's und Osann's Journal. 1826. Mai. S. 77 sqq.

## §. 26.

Huc trahimus eas omnes auditus fictiones, quae phantasiam potius occupant ita ut aegroti aegre tantum sonos esse non externos persuadeantur: id vero fieri nequit, si non soni tales in aure efficiuntur quales externi vulgo audiuntur, potissimum hominum bestiarumque voces. Itard hanc hallucinationis formam syrigmi falsi speciem censet, dicens: »Le bourdonnement faux peut également simuler toutes sortes de bruits, des cris des animaux et même la voix humaine»; Leidenfrost (v. Wesener p. 15) eam ad »susurram spasticum i. e. in nervis ipsis latentem» refert, quod »homines suo se nomine vocari putent»: Arnold (Beob. üb. die Natur, Arten, Ursachen und Verhütung des Wahnsinns oder der Tollheit; a. d. Engl. von Ackermann. Leipz. 1784. Th. 1. S. 122) amentiam nominat, si quis »Stimmen und Töne zu hören glaubt, die er nicht hören sollte.» Arnold hanc amentiam *idealem*, Kortum paulo rectius *partialem* vocat. Etenim his phantasmatibus a sensus unius ad sensorii communis errores i. e. amentiam fieri transitum apparet: et in plurimis mentis alienationibus hae illusiones sunt vulgares.

## §. 27.

*Causae* plerumque in nervis ipsis latent. Si, quam Lentin contendit, aquulae acusticae acrimonia morbosa argumentis et exemplis probari queat, hic quoque phantasmatum



fons esset. Majorem autem veri speciem arteriarum ad aurem internam pulsatio prae se fert, ut quae e. g. campanarum sonantium sensationem gignat; tamen ni fallimur sine aliqua phantasiae turbatione accedente haec causa vix sufficiet. Frequentior origo hic est:

1) Nervi auditorii vehemens concussio, non tam mechanica quam spiritualis e. g. perceptio soni phantasiam valde stringentis.

2) Nervi acustici irritatio consensualis in specie ex abdomine, sic praecipue in hypochondriacis, et similibus.

3) Nervi acustici sensibilitas idiopathice perversa e. g. in puellis ad pubertatem appropinquantibus.

4) Mentis totius in unam rem tendens occupatio, sicuti qui magnum aliquod facinus committere student voces ad rem gerendam exhortantes audire putant: quod tum in maleficis tum in iis qui divino spiritu sibi videntur tacti observatur. Huc trahendum quoque si verum est, quod puer adhuc legi: Virum Anglicum nobilem, qui per plura decennia a patria abfuisset, ibi navi advectum vix terram pedibus titigisse, cum currere coeperet magna voce clamitans: Immo, immo necavi eum! etenim ipsum credidisse persequentium voces audire, itaque detectum esse necatorem hominis ante haec plura decennia defuncti.

§. 28.

Cum auditio requiratur multo perfectior ad perceptionem vocum articulatarum quam non articulatarum e. g. musicalium, etiam ubi voces articulatae falso audiantur majorem erroris gradum censere, ideoque duos phantasmatum gradus vel ordines sistere liceat.

§. 29.

A. *Percipiuntur soni non articulati.* Hic ordo quasi intermedius est inter syrigum et vera phantasmata, etenim sonitum simplicissimum nonnunquam pluviam perfectissime imitari notum est. Analogon forsitan ille oculorum est status, quo corpora volitantia, pulices, laminae metallicae splendidae aspiciuntur.

1) Mulier viginti novem annorum, imaginationis vivacis et magnae nervorum mobilitatis noctu expergefata est strepitu gravi, qui ex unici filii parvi cubiculo provenit; illa portam aperiens puerum in lecto jam inflammato adspicit, eum flammis eripit et mentis vix compos ad uxoris pedes prosternitur. Inde morbum nervosum per duodeviginti menses perpessa sonitum aurium continuum retinuit flammam prorsus imitantem; hic augebatur ad noctem et somnum nonnisi turbulentum sempiternoque ignis metu interruptum permittebat, ita ut femina noctem somnumque anxie timeret. Medicorum peritissimorum praescripta nihil javerant; itaque Itard — cum compertum haberet, mulierem diei horis tranquille dormire posse, eamque tranquillo etiam somno fructam esse cum in itinere totas duas noctes in plaustro degeret; eam strepitu minore fuisse affectam et cum in pavimento inaequali et duro rheda veheretur, et cum diutius quam per totam horam tympani militaris sonum audivisset, — commendavit: dormire hora pomeridiana (ubi sonitus minor esse solebat), expergefieri ad noctem, tunc ut fieri possit diutissime audire instrumentum musicale vehementer sonans («tel que la clarinette ou le violon»), voce magna vel legere vel lectum audire librum attentionem valde occupantem; saepenumero curru vehi in pavimento duro et inaequali; habitare in turbulentissima urbis parte. Mulier ipsa domicilium in mola sibi elegit et post duas septimanas prorsus est sanata.

2) Kortum pictorem vetustum novit, qui quanquam per plures quam viginti annos surdaster et inde ab aliquot annis fere omnino surdus tamen saepe, praesertim ad vesperam et noctem, musicam plenam cum cantu audiebat, eamque veram esse omnino credebat quamvis mens caeterum esset sana. — Qui moria laborant saepenumero musicam (coelestem ut dicunt) audire putant.

Ad hunc ordinem etiam bestiarum voces retulerim si quae tanquam auditus illusiones mihi innotuerint: nusquam vero praeter illa Itardi verba (cf. §. 26) tales observationes legi.

§. 30.

B. *Percipiuntur soni articulati* i. e. hominum voces et verba. Frequentissima ea est hallucinatio, qua homines proprio ipsorum nomine appellari arbitrantur, ut Rush recte monet, quia aliud verbum tantopere nos tangens, tam saepe nobis auditum non datur. Hoc modo celeberrimus Johnson semel est deceptus, quod Boswell qui ejus vitam descripsit simul cum



pari amici cujusdam illusionem memorat. Mulieres quando sic nomine vocantur praesagium triste putant, cuius rei exemplum et Hesse habet et egomet ipse proferre possum. Virgo scilicet quaedam prudens et litteris bene instructa cum iter in campo plano et amplo faceret nomen suum ter distincte audivit: postea certior est facta, eodem illo temporis momento nutricem suam esse mortuam. Sic saltem mihi est narratum a viro veracissimo, qui rem ex ipsa illa virgine compertam habuit. — Casus graviores mihi noti sequuntur:

1) Wieri (de praestigiis daemonum et incantationibus et veneficiis ed. 6. Basil. 1583. 4. lib. 3. de lamiis cap. 7. p. 259.) scribit: »Novi qui suis auribus semper obstrepere (*masculorum concubitor*) quemque obvium, etiam conjunctissimum quereretur.« Erat autem hic, quod non est praetervidendum, sacerdos, et putabatur a nonnullis affectione aurium, a Wierio autem mentis vitio laborare.

2) Nicolai, Academiae litterariae Berolinensis sodalis, cum solus et otiosus esset, amicorum voces audire sibi videbatur; ex hirudinibus ad anum positis magnum affectionis levamen accepit (Rush).

3) Puella decem annorum omnino sana mense febr. 1826 in campo haud procul a domo sua subito vocem fortem et gravem audivit, quae ipsam appellavit aliaque dixit verba a puella non intellecta: haec ad matrem confugit sed hic quoque et ubicunque tenderet eandem vocem percepit, matre caeterisque nihil audientibus. Quod cum per duas septimanas durasset puella ad Blaudium est perducta (d. 1. m. mart.): hic eam omnino et prorsus sanam reperivit praeter illud phantasma, quod puellae nomen sono forti et tono gravissimo distincte edens per horas viginti quatuor ter ad sexies repetebatur. Praescriptum est: Rp. Extr. valerian. Castor. ana dr. dimid. Flor. zinc. gr. XVIII; Extr. op. aquos. gr. III, M. f. pil. 18. D. S. ternae per diem pil. — Inf. fol. aurant. pro tisana. Usque ad diem *quartum* affectio non mutata est; die *quarto* quaternae per diem pilulae: die *quinto* vox rarior et molestiae, fortitudinis, gravitatis minoris fuit; die *sexto* status idem; die *septimo* omni trihorio una pilula; die *octavo* nulla auditus hallucinatio; die *nono* hallucinatio una levis; die *decimo* una adhuc levior; postea nulla. Remanserunt tamen rotationes capitis involuntariae fere continuae, quae iisdem remediis per duas hebdomades adhibitis evanuerunt. (Blaud in Nouvelle biblioth. médicale. Sept. 1829. p. 295—297. Neueste medizinisch-chirurgische Journalistik des Auslandes von Behrend und Moldenhawer. 1830. Jan. S. 59.)

4) Kortum tradit: Mercator quadraginta annorum, habitus apoplectici, cuius plures propinqui mente aegrotaverant, jam ante aliquot annos prima mali sequentis vestigia habuerat. Scilicet cum milites Gallici ipsius regionem primum occuparent, queri coepit, a militibus in domo vicina habitantibus ad maximam sui molestiam vehementer clamari et cantari: at praeter eum nemo quidquam audivit. Mox, quae clamari et cantari arbitrabatur, repetebat: erant verba Gallica, confusa, familiarium voces imitantia, nugae ridiculae etc. praecipue vero minae contra ipsum ipsiusque bona jactatae. Venaesectiones, emetica, purgantia, vesicatoria auxilii quidem aliquid tamen perpauca attulerunt. Voces quotidie paulopostquam vir expergefactus erat incipiebant, legentem, scribentem, cogitantem impediens. Nonnunquam aeger per plures minutas tanquam ecstasi correptus sedebat — voces auscultaturus; invitus de aliis rebus quam de his torminibus diu loquebatur, et cum negotia optime perficeret itaque mentis sanitatem ostenderet, si quis voces auditas re vera non existere ei demonstrare conaretur, admodum stomachabatur. Cum eas a militibus non venire jam perspiceret, eas inimicorum incantationibus vel veneficiis magice putabat effici. Cura secundum artis regulas contra infarctus abdominales instituta, setaceum in nucha, frigidae capitis perfusiones (Sturzbäder) etc. nihil valuerunt: idem dicendum est de itineribus, in quibus aegroti de re familiari et bonis suis cura et anxietas malum adhuc auxerunt. Non quidem hanc affectionem Kortum post tres annos sanaverat, tamen mentem admonitionibus et adhortationibus placans, magna animi studia vetans, remedia temperantia adhibens, tolerabiliorem reddiderat. Nihilominus aeger melancholia quadam tactus et diffidentiae plenus hominum consortia fugere, cum familiaribus libentissime de malo suo loqui perseveravit. — Idem autor pictorem cognovit solertem, corporis animique sani, qui pariter aegrotavit. Noctu subito cum terrore expergefactus milites audiverat ante cameram cum armis pavementum pulsantes, qui vocibus minacibus ut ad certum silvae



locum veniat postulaverunt: quamvis ante cameram neminem vidisset tamen postulatione iterata silvam eadem nocte petierat, neminem vero hic quoque reperiverat. Eo inde tempore voces continuo eum ludebant, legenti praelegebant etc. Primum hac de re fere insaniverat, sed postea consuetudine placatus, animum a vocum observatione omni studio deflectens statum suum tolerabiliorem fecit. Medicamina nunquam accipere voluit et non minus quam prior aegrotus voces re vera extra ipsum oriri prorsus habuit persuasum.

Kortum hic recitat quoque Horatii versus (Epistol. lib. 2. ep. 2. v. 128—132): »Fuit qui se credebat audire tragoedos in vacuo theatro;« sed decipitur verbo »audire« quod Horatius tropice tantum adhibuit; etenim in theatro non auribus solis sed oculis quoque utimur, ergo qui in vacuo theatro solita delectatione gaudet, non solum auditu sed tota mente errat; itaque cum de una quidem re sed non uno tantum sensu fallatur, amentia partiali non hallucinatione auditoria laborat.

5) Esquirol (in Diction. des scienc. médic. tom 16. Par. 1816. p. 154. sub voce Folie) casum similem sed melioris eventus narrat: Vir quadraginta trium annorum, temperamenti sanguinei, urbi magnae praefectus, qui tanquam insurrectionis fautor immerito accusatus laryngem sibi inciderat, post sanationem se dignitatem amisisse, speculatoribus esse circumdatum putabat, audiebatque voces, quae idem ei narrabant atque ut mortem sibi consciscat suadebant. Incipiunt voces mane paulo postquam homo est expergefactus atque vespere somnum impediunt; alternatim omnibus Europae linguis, quas ille intelligit, utuntur: quando lingua Russica illi minus nota loquuntur, difficilius eas capit; interdum verum cum ijs facit colloquium, quo vehementer irascitur. Continuo sic cruciatur, nisi in coetu hominum versatur itaque animum ad alias res attentum habet; nonnunquam a sociis recedit ut voces melius audiat; easque ab inimicis mechanica (mira) aliqua via proficisci nequaquam dubitat. Neque itinere nec dignitate sua in integerrimum restituta a vocibus liberatus Esquirolii curae traditur et post tres menses magna animi commotione apte provocata sanatur.

## T H E S E S.

*I. Opium apte propinatum iteratas sanguinis missiones supervacaneas itaque reconvalescentiam faciliorem reddit.*

*II. Dentem extrahere ipsius morbo nunquam indicatur.*

*III. Solum myringis est munus, cavum tympani claudendo tueri.*

*IV. Medicina non disciplina sed ars est, ideo non leges sed regulas tantum habet.*

*V. Omnia de casu medicinali forensi scripta et acta medico scrutanti tradenda.*

*VI. Ex ancipite medici arbitrio iuridici hoc sibi sumant, quod maximam reo tribuit culpam.*

*VII. Legibus vetandum est, ne homines aetatis vel nimis tenerae vel nimis diversae comubium faciant.*